De imperatoris M. Ulpii Nervae Traiani vita.

Particula prima.

Ceterum et mihi vetustas res scribenti nescio
quo pacto antiquus fit animus. Liv. 43, 13.

Quod Naekius, vir clarissimus, praeceptor olim dilectissimus, cuius memoria ex animo meo nunquam discedet, in oratione ad celebranda natalicia regis augustissimi, Frederici Guilelmi III., a. 1837. Bonnae habita, quum de mutuis Traianum inter et Plinium Secundum epistolis disputaret, professus est, dignissimum esse eum regem, qui cum imperatore Traiano componeretur, id me iam tum commovit, ut animum cogitationemque ad aetatem illam referrem, qua post acerbissimas hominum crudelium vexationes seditionesque domesticas respublica Romana paene intermortua tandem vitam et spiritum recepit. Mox tamen ad alia delatus studia per hos proximos annos rem repetii neque quoad per tempus meum aliis officiis distentum licuit, praetermisi, quin et quae veteres disperse de Traiano tradiderunt colligerem, et quae recentiores disputarunt accurate cognoscerem et ponderarem, quos quum suo quemque loco citaverim, hic enumerare opus non est. Quam lubrica interdum quamque difficilis sit haec tota quaestio, eorum, qui harum rerum studiosi sunt, nescit nemo. Imperator enim Traianus vitae suae enarratorem praeter Dionem, e cuius libro tamen modo pauca quaedam a Xiphilino nescio quo confuse et sine iudicio electa exstant, inter veteres nactus non est. Ac Tacitus quidem eam materiam senectuti seposuerat (hist. 1, 1.), neque tamen, quod animum induxerat, perfecit; quae vero Marius Maximus, Fabius Marcellinus, Aurelius Verus, Statius Valens de eius vita, ut Aelius Lampridius in Alex. Severo c. 47 refert, conscripserant, ea omnia temporum iniuria interciderunt. Quo facilius veniam me

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

spero impetraturum esse, si non prorsus quae volui assecutus ero, ut et res dubias tenebrisque offusas illustrarem, et coniunctis in unum iis, quae disiecta erant, imaginem vitae Traiani expressam proponerem. At ne dissertatio iustum modum excederet, in praesens rem eo tempore finivi, quo Traianus per adoptionem ad societatem imperii accessit. Altera deinde parte de iis disputabo, quae Traianus prudenter in republica instituit, tertia de artium et literarum vitaeque publicae condicione, qualis fuerit illo tempore, quaeque necessitudo Traiano intercesserit cum praecipuis illius aetatis hominibus, quarta de bello Dacico, quinta denique et postrema de bello Parthico atque extremo Traiani tempore agam.

Scribebam Elberfeldae, mense Iunio, 1859.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Caput I.

De imperatoris Traiani familia.

Imperatorem Traianum Eutropius 8, 2 familia antiqua magis quam clara ortum esse testatur. Eius familiae incunabula utrum in Italia ipsa quaerenda sint, necne, incertum est; quae veterum scriptorum testimonia sunt, eam in Hispania australi sedem rerum fortunarumque suarum collocatam habuisse constat. Inscriptio apud Gruter. p. 476, 1 habet nomen Q. Traii Areiani Arvensis cuiusdam, cui ordo municipii Flavii Arvensis laudationem, impensam funeris, locum sepulturae statuamque decreverit; unde eum hominem amplum et de municipio meritissimum fuisse facili negotio colligas. Quae inscriptio quum Alcoleae (del Rey) prope Italicam urbem, in qua Traianus natus est, reperta sit, non sine caussis idoneis viri docti Traium illum cum familia imperatoris Traiani cognatum fuisse suspicati sunt. Atque finales syllabae in nomine Traiani, (anum dico) aperte ostendunt, aut ipsum aut aliquem e maioribus per adoptionem insertum esse in aliam gentem, quae cum plenum imperatoris nomen sit M. Ulpius Traianus, Ulpia est. De gente Ulpia autem liberae reipublicae temporibus neque apud scriptores neque in lapidibus quicquam exstat, nisi quod in tubo plumbeo apud Pigghium ann. Rom. 3, 306 (cf. Gruter. p. 182, 11) haec leguntur: M. Ulpi Sulpic(iani) C. Cassio Varo M. Licinio Lucullo coss., qui consulatu a. 73. a. Chr. n. functi sunt. Incertum tamen est, utrum duae partes, ex quibus tubus ille conflatus est, eidem tempori attribuendae sint, an, quod quidam viri docti statuerunt, altera pars, quae nomina consulum exhibet, casu cum altera, Ulpi nomine insignita, conferruminata sit. Apud Gruter. p. 53, 3 est C. Ulpius Fronto viator Q(uaestorius) qui anno 81. p. Chr. n. Herculi victori statuam dedicavit. Iam alius Ulpius quidam occurrit in inscriptione apud eundem Gruterum p. 45, 10 Herculi conservatori domus Ulpiorum sacrum M. Ulpius . . . . . Verecundus. Atque quum inscriptiones in Dacia inventae satis multae testentur, Herculem deum familiare quoddam Traiano numen fuisse, quin imperatorem ipsum cognomine Herculem appellatum esse,*) non alienum fuerit statuere, et Frontonem illum viatorem et M. Ulpium Verecundum ad familiam Traiani referendos esse, quamvis facile concedam, priorem libertum fuisse.

Sed iam relinquamus eas coniecturas et ad ea veniamus, quae historiae fide constare videntur. Quum patri imperatoris nomen sit M. Ulpius Traianus, Aurelius Victor autem epit. 13, 1 de Traiano imperatore haec habeat: Ulpius ab avo dictus, Traianus a Traio paterni generis auctore vel de nomine Traiani patris, de stirpe eius hoc erit dicendum, patrem Traiani M. Ulpium Traianum filium genuinum Traii cuiusdam (Traii Arvensis illius, opinor, de quo modo memoravimus) in gentem Ulpiam adoptatum primum Traianum cognomen gessisse eodem modo, quo Paulli Aemilii filius, ut inter multa notissimum proponam exemplum, Aemilianus dictus est.

*) Ut inter plura pauca afferam, apud Neigebaur Dacien aus den Ueberresten des klassischen Alterthums p. 19, nr. 5: Deo Herculi pro salute imp. Divi Traiani Aug. et Marcianae Sororis Aug. colonia Dac. Sarmitz. et ibid. nr. 7: Victoriae Aug. nonne tibi dixi Decebale funestum est Herculem lacessere non recte fecisti tua ipse quod iaces manu sed te utcunque vicit Caesar. Tit. Sempron. augur augustalis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Caput II.

De Traiani patria.

Ad unum omnes scriptores*) in eo consentiunt, imperatorem Traianum Italicae natum esse, ex qua urbe Hadrianus quoque atque, ut nonnullis placuit, Silius Italicus poeta oriundi erant. Quodsi Victor epit. 13, 1 dicit, eum ex urbe Tudertina esse, is merus, ut ita dicam, lapsus calami videtur esse pro Turdetana. Tuder enim sive Tudertum urbs Umbriae erat in colle sita ad viam, quae Mevania usque Romam ferebat, ad quam, quae veterum scriptorum testimonia sunt, origo imperatoris referenda non est. Alter Victor Caes. 13, 1 cum ceteris consentiens Italicam, urbem Hispaniae, patriam Traiani nominat. Fuerunt qui putarent verbis urbe Tudertana originem priorem familiae ex Italia repetendam significari, cui sententiae minime adversatur, quod apud Dionem Cassium 68, 4 legitur: *ὅτι Ἴβηρ ὁ Τραϊανὸς, ἀλλ' οὐκ Ἰταλὸς οὐδ' Ἰταλιώτης ἦν*, quum ea verba de ipso imperatore, non de maioribus eius dicta sint. Verum si id voluisset Victor indicare, clarius, opinor, locutus esset, qui in eius modi rebus, ut in stirpe Hadriani enarranda, (epit. 14.) satis accuratus sit, neque simpliciter dixisset, Traianum ex urbe Tudertina esse. Praeterea erroris suspicio in similitudine vocabulorum Tudertina et Turdetana tam gravis momenti est, ut audacter libros emendare et pro Tudertina Turdetana restituere audeamus. Iam Turdetani erant populus praecipuus Hispaniae Baeticae, quae ex iis nomen Turdetaniam traxit; ea regio occidentem versus a fluvio Singuli (Xenil) ad utramque ripam Baetis (qui nunc Guadalquivir dicitur) sita erat. Incolae autem mature mores cultumque Romanos induerant atque ita ad consuetudinem vitamque Latinorum se conformaverant, ut vix discrimen inter ipsos et Italos genuinos esset; utebantur iure Latii, stolis et togis, unde stolati togatique dicebantur; simul autem elegantiorem ob cultum vitamque delicatiorem multum de robore et fortitudine deperdiderant, quibus ceterae Hispaniae gentes etiam tum excellebant.**) Urbs Italica ipsa eo fere loco, quo nunc Sevilla, sita anno 203. a. Chr. n. a P. Cornelio Scipione maiore condita veteranisque, qui vulneribus confecti stipendiisque emeritis essent, sedes domiciliumque assignata fuit. Quum municipes esse possent suisque et legibus et institutis uti, in ius coloniarum mutari maluerunt, ut Aul. Gellius l. 16, 13 testatur, qui simul eius rei caussam affert. Neque absimile est veritati, si statuas, saepe illuc ex Italia colonos missos esse familiasque vel Romanas vel Italas fortunas suas ibi collocasse, neque quicquam impedit, quominus ponamus, Ulpios ex aliqua Italiae urbe oriundos illuc emigrasse.

Caput III.

De quibusdam, quae ad nomen Traiani pertinent.

Imperatori Traiano praenomen Marcum fuisse, et Dio testatur 68, 3 et ex multis inscriptionibus apparet, in quibus et ipse ita appellatur, (ut apud Neigebaur Dacien p. 19. Nr. 6: Imp. Caes. M. Ulp. Nerv. Traiano cett.) et liberti eius, quod fere moris apud Romanos erat, idem praenomen gerunt, ut apud Orellium inscript. n. 794 M. Ulpius Phaedimus et apud Gruter. 576, 3 M. Ulpius Hermes occurrunt, ut alios praetermittam. De nomine Ulpio et cognomine Traiano iam supra vidimus;***) apud Eutropium 8, 2 post nomen Ulpium insertum est agnomen Crinitus, de cuius origine et vi viri docti in ambiguo sunt. At videtur ea vox nihil aliud esse, nisi forma adiectiva nominis substantivi crinis (Haar), ut sit i. q. comatus, velut apud Ennium (Cicer. acad. 2, 28, 89) Apollo et apud Virgilium (Aeneid. 1, 740) Iopas vates criniti dicuntur. Secundum Laurentium Lydum mens. Ian. 7 incolae regionis Turdetanae crinem promittere consuerant et Traianus quidem eum morem secutus quum Romam venisset caesarie prolixa sine dubio oculos hominum in

*) Victor Caes. 13, 1; Eutrop. 8, 2; Applan. Hispan. 38; Dio 68, 3.

**) Vide de iis Strabon. III, p. 151, 164; Diod. V, 33.

***) De nomine adoptivo Nerva capite X. disputabimus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

se convertit, atque id eo magis, quod initio imperii crines iam verecundiorem senectutis imminentis colorem ducere coeperant.*) Quid mirum, si Romani, qui ad eiusmodi res attendebant, inde ei cognomen indiderunt, quum etiam alia nomina et cognomina Romana ut Labeo, Naso, Capito, Flaccus cett. ad corporis vel faciei singularem habitum pertineant.

Caput IV.

Quo tempore Traianus vixerit.

Statuunt vulgo viri docti, Traianum natum esse a. d. XIV. Kal. Octobr., qui dies ad nostros fastos relatus est dies 18. mensis Septembris, anno 53. p. Chr. n. De quibus singulis iam disputabimus. Dies natalis facillime erui videtur posse e Plin. paneg. 92, quo loco Plinius triplici gaudio diem laetum esse dicit, qui principem abstulerit pessimum, dederit optimum, meliorem optimo genuerit. Pessimus ille princeps est Domitianus, qui ut Suetonius Dom. c. 17. testatur XIV. Kal. Octobr. interfectus est; eo ipso die statim Nerva, optimus princeps, ad imperium pervenit, melior optimo autem eodem die, sed quod facile quisque intelligit, alio anno, ad lucem est editus. Cum hoc loco componendus erit alter eiusdem scriptoris, epist. 10, 28 (Orelli), quo Plinius imperatori nuntiat, se post iter diuturnum demum a. d. XV. Kal. Oct. (17. Sept.) Bithyniam intrasse neque tamen quum sibi contigerit ut natalem principis in provincia celebraret de mora quod queratur habere. Iam priore loco genuit et altero natalem aperte rem conficere videntur. Sed ecce exoriuntur Plinii interpretes (Schwarz. Gierig. al.), qui eas voces non de die natalicio, sed adoptionis dictas esse contendant, cuius usus exempla afferunt. Quod quamvis negari non debeat, diem et adoptionis et suscepti imperii saepe natalem dici, illis Plinii locis res tamen aliter se habere videtur. Nam primum alio loco epist. 10, 60 idem Plinius verbis: Diem, quo servasti imperium, dum suscipis mihi quidem adoptionis diem innuere videtur, non successionis, quum eo ipso die imperii particeps factus rempublicam periculosissimis militum seditionibus vexatam, quae statim post adoptionem resederunt, e periculo eripuerit; eum diem autem Plinius h. l. non natalem dicit, sed alio modo significat; ita aperte distinguit inter natalem et adoptionis diem. Deinde quod illi viri docti in rem suam afferunt, imperatores solitos fuisse, honores eodem die, quo ipsi adepti sint, aliis tradere, id quidem nullo loco numero. Nam Nervae in gravissima praetorianorum seditione ne libera quidem de tempore voluntas fuit, sed reipublicae necessitatibus coactus Traianum in filii et Caesaris locum adscivit. Tum autem iam gravioribus argumentis pugnabimus. Victor epit. 9. Nervam cum Traiano post adoptionem tres menses vixisse dicit; Nerva autem 18. die Sept.**) imperium adeptus, post unum annum quatuor menses novem dies de vita decessit. (Dio 68, 4.); haec si computabimus, habebimus 27. diem Ianuarii mensis anni 98., quo die Nerva mortuus est. Quodsi Traianus 18. Septemb. adoptatus esset, non tres sed quatuor menses cum eo vixisset; inde plerique viri docti iure diem adoptionis in finem Octobris vel initium Novembris conferunt; quotus fuerit, non definiunt, eum tamen, nisi omnia me fallunt, eruisse mihi videor, quod quoniam semel in eius rei mentionem incidimus, quamquam a re quam tractamus, alienum videtur esse, in transitu breviter proponam. Victor enim epit. 9 dicit Nervam imperasse menses XIII., dies X., quem numerum si de toto imperio accipias, falsum esse apparet et ex iis, quae supra ex Dione attulimus, et ex iis, quae apud Victor. de Caes. 9. leguntur, eum mense sexto et decimo semet imperio abdicasse; (quo loco numerus consentit cum Dionis testimonio, ceterum verbum abdicandi negligentiae et incuriae scriptoris tribuendum est.). At si 13 illos menses 10 dies, quos Victor imperasse Nervam dicit, de eo tempore accipias, quo solus reipublicae gubernacula tenuit, eosque addas ad 18. Sept. 96., habebis 28. Octob. 97.; eo igitur die Traianus adoptatus est; unde si pergas et tres addas menses, quos

*) Plin. paneg. 4: Iam firmitas, iam proceritas corporis, iam honor capitis et dignitas oris, ad hoc aetatis indeflexa maturitas, nec sine quodam munere deum festinatis senectutis insignibus ad augendam maiestatem ornata caesaries, nonne longe lateque principem ostentant?

**) In talibus computationibus nostra utar ratione temporis definiendi, quum veterum usus nimis a nostro abhorreat; quo res difficiliorem habeat intellectum necesse est.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Victor dicit Traianum cum Nerva imperasse, habebis 27. Ianuar. 98., (nam de uno die nemo nisi qui plane nugetur molestias exhibebit) eumque diem supra Nervae supremum fuisse vidimus. *)

Ex iis, quae hucusque proposuimus, hoc colligo: diem adoptionis non posse esse diem 18. mensis Septembris, neque locos illos Plinianos, quos supra citavimus, de adoptione, sed de tempore nascendi ipso intelligendos esse. Non igitur ab iis recedimus, qui diem natalem Traiani 18. Sept. fuisse contendunt, eamque sententiam argumentis firmis stabilivisse nobis videmur. Pergamus iam ad reliqua.

Dio 68, 33. tradit, Traianum imperium tenuisse 19 annos, 6 menses, 15 dies; Aelius Spartianus autem in Hadriani vita c. 4. dicit, Hadrianum nuntium de morte Traiani accepisse tertio iduum Augusti die**) i. e. 11. Aug., quem eundem diem natalem imperii instituit celebrandum; biduo ante quinto id. Aug. die i. e. 9. Aug. literas de adoptione acceperat. Non immorabimur iis, quae Spartianus de morte Traiani ex variis auditionibus addit, et pro certo sumamus, Traianum die interiecto, 10. Aug., Quinctio Nigro C. Vipstano Aproniano coss. i. e. anno 117. p. Chr. n. mortuum esse. Erat enim Hadrianus secundum Dionem 69, 2. Antiochiae, capite Syriae, quum imperator renuntiaretur et certior fieret, Traianum Selinunte in Cilicia decessisse, quem nuntium vix eodem die potuit accipere. Inde igitur si 19 annos 6 menses 15 dies deducemus, habebimus diem 25. mensis Ianuarii anni 98. diem aditialem imperii, qui cum non prorsus consentiat cum eo die, quem supra in morte Nervae constituenda invenimus (is enim erat 27. Ian.) aut Dio in computatione non satis accuratus fuit aut error librariorum vel apud eum vel apud Spartianum latet. Nam etiamsi concedamus Traiani finem in d. 11. Aug. incidere, usque quaque unius diei differentia manet. Quum tamen ea levior sit, hucusque omnia scriptorum testimonia satis bene se habere videntur; quod minus de iis valet, quae iam proponemus. Eutropius L. 8, 5 dicit, Traianum diem supremum obisse aetatis anno 63. mense 9. die 4., eum numerum si subducemus ab 11. Aug. 117., habebimus 7. Sept. a. 53.; quod quum non congruat cum iis, quae ex Plinio supra eruimus, apud Eutropium error aut ipsius aut librariorum latere videtur, quamquam in tempore imperii definiendo libri Eutropii cum Dione consentiunt; sequitur enim statim post: imperii anno XIX. mense VI. die XV. Certe testimonium Eutropii minime potest valere ad sententiam nostram de die natali Traiani infringendam, quam supra firmioribus argumentis fulsimus. Alias molestias, etiam maiores, Dio exhibet; quum dierum facilem esse errorem et excusandum dixeris, annorum non item. Dio 68, 6 Traianum ad imperium venisse dicit *δεύτερον καὶ τετταρακοστὸν ἔτος* agentem; anni autem quadraginta duo neque ab anno 98., quo solus imperium suscepit, neque ab anno 97., quo adoptatus est, subducti annum 53. exhibent, sed altera ratione annum 56., altera 55. Omnia recte sese haberent, si legeres pro *δεύτερον τέταρτον*; sed Reimarus ad l. l. docet, codices refragari, qui in lectione *μ β' ἔτος* consentiant, eamque lectionem Zonarae testimonio confirmari. Quodsi nolis confugere ad medelam, quam proposui, dicendum erit, Dionem alios auctores secutum esse mea quidem sententia fide minus dignos, quum et Eutropius eum 63 annos 9 menses natum diem supremum obisse testetur et Victor epit. 13, rem in universum constituens ***) eum 64 annos vixisse tradat, quocum Cassiodorus in Chronico concordat. Equidem omnibus his propositis et accuratius excussis acquiescendum censeo esse in die 18. Septembris mensis anni 53. p. Chr. n. eumque diem natalem Traiani esse pro certo affirmaverim.

Caput V.

De Traiani patre.

Minime deflectere a proposito mihi videor, si hoc capite uberius de patre imperatoris exponam, quum inde et perspicuum fiat, quali parente genitus talis filius exstiterit, et imperator ipse sub auspiciis patris admodum adolescens prima stipendia meruerit.

*) Ceterum Victor epit. 12. eo die, quo interierit, solis defectionem fuisse tradit; poterunt igitur homines, rei astronomicae periti, e doctrinae suae rationibus accuratius quid de die constituere; nam si 27. Ianuar. 98. e lunae positu solis defectum esse potuisse probari poterit, nihil impedit, quominus nostram computationem recte se habere statuamus.

**) Ita legitur in edit. Lipsiensi a. 1774.

***) Victor eodem modo Traianum annos viginti imperavisse dicit, quum tamen accuratius dicendum fuerit: 19 annos 6 menses 15 dies.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Atque in universum id legentibus praecipiendum videtur esse, ut meminerint, illud fuisse tempus, quo corruptis Romanorum moribus et pristina virtute sublata pondus quasi et momentum totius imperii ab urbe in provincias vergere coeperit, quae rerum commutatio iam tum facta est, quum Vespasianus purgato senatu submotisque indignissimis honestissimum quemque Italicorum ac provincialium allegit.*) Praeter omnes alias terras Hispania ut domicilium et patria verae virtutis praedicabatur. Quid, inquit Claudianus in laude Serenae Reg. vs. 50., seqq.

(Quid) dignum memorare tuis, Hispania, terris
Vox humana valet? . . . . . .
Dives equis, frugum facilis, pretiosa metallis,
Principibus fecunda piis. Tibi saecula debent
Traianum: series his fontibus Aelia fluxit.
Hinc senior pater; hinc iuvenum diademata fratrum.

Et paullo post:

Sola novum Latiis vectigal Iberia rebus
Contulit, Augustos.

Et Theodosio Magno quidem, qui anno 346. p. Chr. n. Caucae in Hispania septentrionali natus fuit, origo Hispaniensis non mediocris apud homines commendatio erat, quumque praeterea familia eius cum Traiani stirpe cognata esse traderetur, id faustum futurae magnitudinis omen interpretabantur.

Pater imperatoris Traiani M. Ulpius Traianus, Italica urbe oriundus, tribunus decimae legionis (Fretensis) bello Iudaico annis p. Chr. n. 69. et 70. stipendia meruit. Ea legio, apud Iosephum saepius memorata, egregie officio suo functa est bonamque operam praestitit, velut quum Vespasianus Iotapatam castellum quoddam oppugnaret et incolae Iaphae,**) finitimae cuiusdam urbis, res novas molirentur, illuc Traianum traditis duobus milibus peditum et mille equitibus misit, qui incolas obviam sibi profectos proelio commisso vicit et in urbem duplici cinctam muro compulit. Quum igitur intra priorem murum se recepissent, Romani eos vestigiis consecuti simul irrumpunt, quod quum qui in urbe erant vidissent, ne Romani in urbem penetrarent veriti portas interioris muri clauserunt, quo facto qui Iudaei inter duos muros conclusi erant, partim ipsorum manibus, partim a Romanis confossi perierunt. Traianus autem, urbem propugnatoribus vacuam esse reputans et facilem esse expugnatu, ut eam gloriam imperatori ipsi reservaret, non sine callida urbanitate, ut Titum filium, finem expugnationi impositurum, mitteret, ab eo petivit. Is quum venisset cum quingentis equitibus, mille peditibus, a laeva parte urbis Traianum constituit, ipse a dextra obsidioni praeerat. Scalis igitur admotis quum Iudaei moenia reliquissent, Titus cum suis de muris in urbem saltu demissus cum incolis in viis et angiportibus urbis acre proelium commisit, quum plus sex horas impetum Romanorum illi sustinerent et feminae quoque de tectis domorum quidquid in manus venit deiicientes animos virorum excitarent laboresque sublevarent. Tandem absumtis, qui ad pugnam idonei erant, cetera turba quod virilis sexus erat caesa, mulieres cum liberis in servitutem abductae sunt. Perierunt eo die quindecim milia, capta duo milia centum triginta. Quod factum est mense Daesio***) a. 69.; quum imperator Traianus fere sedecim annos natus esset.

Eodem modo Vespasianus in urbe Tiberiade recipienda,†) quae defectionem moliebatur, Traiani opera usus est, praemisso eo cum equitibus, qui voluntatem civium explorarent, quos defectionis poenituisset, quique sibi ignosci vellent. Quumque eodem tempore Tarichaeae††) defecissent filiumque Titum imperator ad eas recuperandas misisset, Traianum cum quadringentis equitibus illuc suppetias ferre iussit, quod milites Titi oratione excitati et ad rem gerendam erecti aegre ferebant, quasi sibi victoriae laus illorum societate

*) Suet. Vespas. 9. med.
**) Ioseph. de b. Iud. 3, 7, 31.
***) Id nomen apud Sicyonios, Macedones Graecosque Asiam incolentes mensis gerebat, qui alibi Ἀνθεστηριών (Februarii et Martii pars) dicebatur.
†) Ioseph. de b. Iud. 3, 9, 7.
††) Ibid. 3, 10, 3.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

imminueretur conquesti. In Hierosolymis*) autem obsidione cingendis eiusdem legionis decimae opera usus est, quae per Hierichuntem profecta, quum sex stadia ab Hierosolymis abesset, castra metari iussa est ad montem Olivarum, qui urbi, profunda valle cui Cedron nomen est interiecta, ab oriente obiacet. Ubi dum milites armis positis in castris muniendis occupati sunt, subito Iudaei eruptione facta in legionem excurrunt militesque inordinatos et inermes facili negotio in fugam dant, et legio quidem magno in periculo versabatur, ni Titus animadverso quid rei gereretur auxilio lato hostes repulisset; tamen ad meridiem usque pugnatum est, donec post meridiem quum aliae cohortes advenissent ille milites decimae legionis, graviter increpitos, ad vallum muniendum in montem remisit. Quae quum Iudaeis fuga esse videretur, recentibus copiis adaucti rursus instare et Romanos in fugam coniicere, ita ut Titus ipse in summum discrimen adduceretur; quod quum decimae legionis milites vidissent, impetum Iudaeorum sustinendum non esse rati, lymphatico quasi terrore correpti in fugam se dant et alii alio feruntur. Deinde quum audissent, quanto in periculo Titus versaretur, qui cum paucis immotus et intrepidus hostibus resisteret, pudor eos occupat a fugaque revocat. Totis igitur viribus irruentes intra vallum Iudaeos compellunt, quo facto Titus cum iis, quibus fretus antea restiterat, solus hostes impugnans, legionem, quam eo die bis ex periculo eripuerat, in montem ad castra munienda remisit. Quamquam eo die aliquoties eius legionis milites animos desponderant, tamen Titum eam in praecipuo honore habuisse ex iis apparet, quae Ioseph. 7, 1, 3. dicit; nam captis Hierosolymis, inquit, et militibus collaudatis amplissimisque donis ornatis iis, qui fortiter se gesserant, reliquum exercitum dimisit, decimae autem legionis militibus Hierosolymorum custodiam concessit, neque ad Euphratem, ubi ante fuerant, eos remisit, duodecimam vero, quae Iudaeis cessisset, a Syria removit et Melitenae ad Euphratem in confinio Armeniae et Cappadociae collocavit. Brevi post Vespasianus gratiam pro meritis ut referret Traianum patrem patricium fecit et dignitatem consularem attribuit.**) Quod quo anno factum sit, non constat; e numo apud Eckhel. 6, 434. Antiochiensium cum Titi capite coniici posse videtur, eum anno 76. p. Chr. n. Syriae proconsulem fuisse. Id quoque in medio relinquendum est, utrum ante bellum Iudaicum, quum ut Iosephus testatur ad Euphratem imperabat, an hoc de quo modo diximus tempore bellum cum Parthis gesserit. E verbis enim Plinii paneg. 14., imperatorem Traianum puerum admodum Parthica lauro gloriam patris auxisse, vix aliquid videtur erui posse, quum vox puer, praesertim in panegyrico ad laudem imperatoris augendam composito, etiam de adolescente 23 annorum, quam aetatem Traianus tunc agebat, dici possit. Id certe et ex hoc loco et ex capite 89.***) panegyrici constat, filium tum patri affuisse et sub eius auspiciis initio militem gregarium, deinde tribunum stipendia meruisse; ex eodem capite 89., ut ex capite 16.,†) id quoque constat, patrem inde insignia triumphalia accepisse. Anno 79. p. Chr. n. secundum inscriptionem apud Chandler. p. 30., Eckhel. doctr. num. 6, 435, Muratori p. 446, 3 Asiae proconsul fuit. Eum, postquam filius imperium adeptus sit, etiam diu vixisse testemque fuisse gloriae, quam imperator sibi pepererit, Niebuhrius contendit histor. Vorlesungen, B. 3, p. 217. (Isler.). Certe anno 100. p. Chr. n., quo Plinius panegyricum in Traianum scripsit, eum in vita fuisse, e cap. 89. apparet, quo inter se opponuntur Nerva, qui iam decesserit, et Traianus pater, uterque honoribus et laudibus filii, alter adoptati, alter genuini gaudentes; et de Traiano patre quidem scriptor haec habet: nam tu quoque, si non sidera, proximum tamen sideribus obtines locum; quantam percipis voluptatem, si illum tribunum, illum militem tuum, tantum imperatorem, tantum principem cernis. Iam verba si non sidera, proximum tamen — locum etiam tum superstitem aperte significant, ad quem oratio convertitur. Postea filius qua erat pietate eum, quamvis privatae sortis hominem, eorundem honorum participem fecit, qui ad imperatores tantum eorumque uxores deferebantur. Nam in numis ex consulatu VI. Traiani a. p. Chr. n. 112. (Eckhel. 6, 435.) Divus appellatur, ac verisimile est, eum paullo ante e vita excessisse.

---

*) Ioseph. de b. Iud. 5, 2, 3, 4.

**) Plin. paneg. 9.

***) Sed et tu, pater Traiane, quantam percipis voluptatem, quum illum tribunum, illum militem tuum cett.

†) Nec quia vel pater tibi triumphalis cett.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Caput VI.

De Traiani institutione et studiis literarum.

Literis et artibus optimis Traianus puer leviter tantum imbutus videtur fuisse, magisque ea didicisse, quae ad vitae usum remque militarem, quam quae ad scholam pertinent. Id ut statuamus, quum totius vitae ratio, tum testimonia veterum nos inducunt. Vict. epit. 13. de eo dicit: quamvis ipse parcae esset eloquentiae moderateque eloquens, quocum consentit Dio 68, 7.: *παιδείας μὲν γὰρ ἀκριβοῦς, ὅση ἐν λόγοις οὐ μετέσχε.* Huc pertinent ea quoque, quae Spartian. Hadrian. 3 enarrat, Hadrianum Sura defuncto in maiorem familiaritatem cum Traiano venisse, praecipue orationum caussa, quas pro imperatore dictaverit. Quod Iulianus quoque Caes. p. 846. Sylb. perstringit, segnitiem ei exprobans, non tam dicendi facultatem denegans: *καίπερ δυνάμενος λέγειν ὑπὸ ῥᾳθυμίας (ἐπιτρέπειν γὰρ εἰώθει τὰ πολλὰ τῷ Σούρᾳ γράφειν ὑπὲρ αὐτοῦ) φθεγγόμενος μᾶλλον ἢ λέγων ἐπεδείκνυεν αὐτοῖς,* etsi Iulianus in ea re locuples testis non est. Videtur omnino Traianus, qua erat simplicitate morumque antiquitate, a cultiore dicendi genere abhorruisse siccamque magis orationem sectatum esse; eundem tamen, etsi praeter ceteros bellator manuque fortis fuerit, non plane a literis abfuisse, multis argumentis demonstrari potest. Quin scribendo operam dedit, exstare in anthologia dicitur epigramma eius satis acutum;*) memorantur quoque commentarii de bello Dacico, e quorum libro primo Priscianus VI, 13. (Vol. I, p. 205. Hertz.) haec verba servavit: „inde Berzobim, deinde Aizi processimus;“ docent etiam rescripta ad Plinium data in l. X. epistolarum, eum usum esse genere dicendi simplici, puro, emendato, recisis iis, quae redundare videntur, rem ipsam breviter et dilucide proponentem, quod in imperatore orbisque terrarum administratore sufficere putaverim, a quo nemo sanus exiget, ut facultate oratoria excellat. Ac quum ipse leviter tantum literis institutus fuerit, id praecipue in eo laudandum et praedicandum est, quod literis artibusque fovendis et augendis eximiam operam dedit, quae quum diu neglectae et tamquam sepultae iacuissent, eo imperante vitam et spiritum receperunt. Plenius de ea re disserendum erit capite separato, quo de literarum condicione Traiano imperante disputabo, nunc sufficiat, paucis hanc rem attigisse. Quid vitam? inquit Plinius paneg. 47., quid mores iuventutis? quam principaliter formas? quem honorem dicendi magistris, quam dignationem sapientiae doctoribus habes? Ut sub te spiritum et sanguinem et patriam receperunt studia, cett. Inde Iuvenalis initio satirae septimae studiis spem novam ostendit

Et spes et ratio studiorum in Caesare tantum,
Solus enim tristes hac tempestate Camoenas
Respexit,

quo in loco quin de Traiano sermo sit non est quod dubites. Posteriore tempore bibliothecam Ulpiam condidit, philosophos et viros doctos omni modo adiuvit et coluit secumque habuit, ut Dionem Chrysostomum, Plutarchum, Plinium, Tacitum, alios, quam ob rem quo iure illa literarum aetas, quae ab aliis aurea dicitur, apud alios ab Augusto imperatore nomen habet, eodem iure haec aetas, qua literae denuo reviviscere coeperunt, Traiani nomine ornari possit. Exstat epistola quaedam, latine scripta, Plutarchi Chaeronecnsis, quam primus ad lucem edidit Ioh. Sarisberiensis Polycrat. 5, 1 (cf. Corsini de vita Plut. VIII., fin.)**), ad imperatorem Traianum initio imperii missa, qua Plutarchus eum obsecrat, ut semper memor sit praeceptorum a se traditorum neve deflectat a via recta, quam monstraverit illi, neu sibi et institutioni dedecori sit. Quae epistola sine dubio subditicia est et a sophista quodam posterioris temporis lusus caussa conficta. Nam praeter id, quod Plutarchum minime decuit, tali modo cum imperatore agere, nemo iam videt, quomodo Plutarchus, qui fere medio saeculo primo p. Chr. n. eodem tempore quo Traianus natus sit, praeceptor eius esse potuerit. Neque magis verisimile est, eum lingua latina in literis scribendis usum esse. Id tantum constat, Plutarchum

*) Ita inveni in collectaneis meis, quod unde habeam, non memini; certe neque in anthol. Latina neque in Graeca vel loco qui laudatus erat (2, 13.) vel alio potui reperire.

**) Repetita est ap. Fabric. V, p. 192.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quum Romam venisset, cum Sosio Senecione, qui annis 99. et 102. sub Traiano consul fuit, familiariter vixisse, per eum in Traiani notitiam venisse ab eoque ad Hadrianum erudiendum praeceptorem constitutum et dignitate consulari decoratum fuisse. Atque haec quidem in universum de Traiani studiis literarum dicta sint.

Caput VII.

De primis Traiani stipendiis quaeque gesserit antequam in Germaniam iret.

Iam admodum puerum Traianum bellis interfuisse, quae pater in Asia gesserit, supra capite V. vidimus, quam ob rem ibidem res a patre gestas uberius exposuimus; ea bella incidere videntur in tempus ab anno 69. usque ad a. 76. Brevi post tribunus factus est; quod munus saepe homines perquam adolescentulos adeptos esse constat. Audiamus de ea re Plinium paneg. c. 15.: Tribunus disiunctissimas terras teneris adhuc annis viri firmitate lustrasti; iam tum praemonente fortuna, ut diu penitusque perdisceres, quae mox praecipere deberes. Neque enim prospexisse castra brevemque militiam quasi transisse contentus, ita egisti tribunum, ut esse statim dux posses, nihilque discendum haberes tempore docendi. Cognovisti per stipendia decem mores gentium, regionum situs, opportunitates locorum; et diversam aquarum coelique temperiem ut patrios fontes patriumque sidus ferre consuevisti. Haec decem stipendia quando meruerit, coniectura tantum assequi licet; quum praetor factus sit a. 86., de quo statim, inde videtur retrogrediendum esse, ita ut inde ab anno 76. usque ad 86. tribunus fuerit et sub patris auspiciis contra Parthos pugnaverit. Decem hi anni non parvi momenti fuerunt ad mores Traiani conformandos; per eos annos varias vitae rationes didicit, multiplici usu edoctus est, artem et parendi et imperandi cognovit, itineribus, castris, ambulationibus, decursionibus, omnis generis exercitationibus corpus natura iam firmum et robustum ita duravit, ut in laboribus sustinendis iam senex cum expeditissimo quoque et validissimo milite gregario contenderet. Anno post Chr. n. 86. quum tricesimum tertium ipse aetatis annum ageret, praetura functus est; quod enim lege Villia annali cautum erat, ne quis ante annum aetatis quadragesimum eo munere fungeretur, id illo tempore non iam tam diligenter observabatur, quum imperatores saepe hos illos ea lege liberarent, quod iam liberae reipublicae temporibus a populo factum esse novimus. Annus vero praeturae computari poterit ex Aelio Spartiano Hadrian. 1.: Natus est (Hadrianus) 9. Kal. Februar. Vespasiano VII. Tito V. coss. (i. e. anno 76. p. Chr. n.), ac decimo aetatis anno (i. e. 86. p. Chr. n.) patre orbatus Ulpium Traianum, praetorium virum, consobrinum suum, et Coelium Tatianum (vel potius Attianum)*) tutores habuit.

Anno 91. cum Acilio Glabrione consul fuit (Dio 67, 12), tum prodigia accepisse dicitur, quibus collegae interitus, ipsi summum imperium significatum est; quae qualia fuerint, Dio reticet.**)

Consulatu functus proconsul in Hispaniam patriam suam missus est. Ibi enim eum fuisse, priusquam ad Germaniam proficisceretur, diserte Plin. paneg. 14. dicit: Nec dubito, quin ille, qui te inter illa Germaniae bella ab Hispania usque, ut validissimum praesidium, exciverat. Praesidem autem provinciae eum fuisse, non quod nonnullis placuit, hominem privatum, multa nos monent. Primum enim usu receptum erat, ut, qui consulatu functus esset, provinciam aliquam acciperet administrandam, tum et inscriptiones in Hispania inventae, viae publicae, ibi stratae, omnis generis monumenta***) satis docent, eum publico muneri praefuisse, denique quod rem plane videtur conficere, legiones inde in Germaniam deduxit, v. paneg. 14.: Hispaniam Germaniamque quum plurimae gentes ac prope infinita

*) V. Dion. Cass. 69, 1: ὅ, τε Ἀττιανός, πολίτης αὐτοῦ ὤν, καὶ ἐπίτροπος γεγονώς. Illud legitur in editione Lipsiana, a Püttmanno curata.

**) *Τραιανῷ δὲ δὴ τῷ Οὐλπίῳ καὶ Ἀκιλίῳ Γλαβρίωνι, ὑπατεύσασι τότε, τὰ αὐτὰ σημεῖα λέγεται γενέσθαι. καὶ ἀπ' αὐτῶν τῷ μὲν Γλαβρίωνι ὄλεθρος, τῷ δὲ Τραιανῷ ἡ τῆς αὐτοκρατορίας ἀρχὴ προεφήνθη.*

***) De iis alio loco dicendum erit, quo de aedificiis a Traiano exstructis separatim agemus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vastitas interiacentis soli, tum Pyrenaeus, Alpes . . . . . muniunt dirimuntque. Per hoc totum spatium quum legiones duceres seu potius (tanta velocitas erat) raperes, non vehiculum umquam, non equum respexisti. Iam cur a Domitiano in Germaniam missus sit, capite sequente explicabimus.

Caput VIII.

De rebus a Traiano in Germania gestis.

Amplior inde ab illo tempore Traiano patuit campus, in quo excurrere virtus cognoscique posset. Secundum Suet. Dom. 6. post triumphum Domitiani de Chattis actum L. Antonius Saturninus,*) praeses Germaniae superioris, bellum civile movit et per legiones Caesar appellatus est, quam ad rem prospere perficiendam non solum aerario militari copiosissimo potitus est, sed etiam nationes Germanorum finitimas in auxilium arcessivit. Verum consilia eius ad irritum ceciderunt, quum Germani in ipso discrimine Rheno veris tepore repente resoluto ruptae glaciei in flumine propulsu quominus traiicerent prohiberentur, quo facto facili negotio Saturninus a L. Appio Maximo Narbone fusus, ipse caesus est. Secundum Imhof C. Flavius Domitianus, Halle, 1857, p. 64, 65. is motus in ver anni 93. p. Chr. n. incidit. Nec tamen quies plane restituta erat neque omnis motus resedit, quum praesertim gentes Germaniae semel coeptae essent moveri, disciplina castrensis corrupta esset, fides militum dubia videretur; eoque homine opus fuit strenuo, qui ea omnia corrigeret imminensque periculum averteret. Domitianus homo alias suspicax et alienae virtuti invidens Traianum eum sibi videbatur cognovisse, qui illa damna sarciret rebusque afflictis mederetur; qua enim erat origine minime generosa et moderatione modestiaque, nil fuit quod ab eo timeret. Haud cunctatus, quum a principe evocatus esset, Traianus statim castris motis per Pyrenaeos et Galliam quantis maximis potuit itineribus ipse pedes et omnes labores cum milite gregario communicans rapuit (paneg. 14.), brevi post adventum seditiones composuit, ferociam superbiamque barbarorum ex proximo auditus magno terrore cohibuit (ibid.), corruptae castrorum disciplinae corrector emendatorque fuit (paneg. 6.), depulso prioris saeculi malo, inertia et contumacia et dedignatione parendi (c. 18.)

Permansit in Germania ad mortem Domitiani perque totum Nervae imperium usque ad annum 99. Nam neque e numis, in quibus Nerva Traiano dextram porrigens expressus est, eum tum Romae fuisse potest demonstrari, quum ea effigies nil sit nisi adoptionis adumbratio quaedam et imago, neque huc trahi possunt loci apud Plin. paneg. 5.**) et 23.***), quibus Plinius aperte de tempore loquitur, quo functus consulatu et in provinciam abiturus vota nuncupandi caussa de more Capitolium ascenderat; quod addit tum Traianum a populo imperatorem consalutatum esse, id quidem, ut cursus et color orationis docet, magis rhetorice, quam vere dictum est. Ceterum haud dubium est, quin Traianus ob staturam corporis prominentem, ob oris maiestatem caesariemque de capite defluentem iam tum mirum in modum hominum oculos in se verterit, qui magnum illum futurum esse animo praesagirent. Deus autem quamquam etiam de Caesaribus consecratis dicitur, tamen his locis procul dubio Iupiter Capitolinus est, quem in Capitolio imperatoris nomine venerabantur. Minime igitur ex iis locis colligi potest, Traianum Nervae temporibus Romam venisse, et pro certo id ponimus, quod supra diximus, Traianum inde ab anno 93. p. Chr. n. usque ad 99., de quo infra videbimus, in Germania fuisse. Quae per totum id spatium in ea terra gesserit, de eo e rerum scriptoribus vix certi quid memoriae traditum est, pleraque e monumentis, lapidibus vel ex locis scriptorum hic illic se offerentibus coniicienda et in unum colligenda sunt, ut imago quaedam inde effingatur. Id quidem

---

*) Cf. Dio 67, 11.

**) Tibi ascendenti de more Capitolium quamquam non id agentium civium clamor, ut iam principi, occurrit. Si quidem omnis turba, quae limen insederat, ad ingressum tuum foribus reclusis, illa quidem, ut tunc arbitrabatur, deum; ceterum, ut docuit eventus, te consalutavit imperatorem.

*** Ubi vero coepisti Capitolium ascendere, quam laeta omnibus adoptionis tuae recordatio! quam peculiare gaudium eorum, qui te primi eodem loco salutaverant imperatorem! Quin etiam deum ipsum tunc praecipuam voluptatem operis sui percepisse crediderim.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

affirmari potest, pleniorem eo tempore Romanos consecutos esse terrae Germanorum cognitionem Tacitumque in libro, qui Germania inscribitur, componendo ex eo praecipue fonte hausisse, quum Traianus et expeditionibus factis et foederibus iunctis commercioque instituto interiores terrae eius partes aperuerit. Nihilominus tamen tota haec res tenebris quibusdam offusa est neque unum certum exstat testimonium de insigni aliquo proelio commisso vel victoria paullum splendidiore reportata, quod si fuisset, Plinius sane in panegyrico, quo omnibus laudibus imperatorem cumulat, quin magnificis verbis eam rem exaggeraret, non intermisisset. Fuerunt quidem, qui e verbis in cap. 8.: allata erat ex Pannonia laurea, id agentibus diis, ut invicti imperatoris exortum victoriae insigne decoraret, coniicerent, Traianum paullo ante adoptionem victoriam ex Pannoniis reportasse laureamque illam ab ipso victoriae insigne Romam missam et in templo Iovis dedicatam fuisse; de qua eadem re Plin. cap. 16. mentionem facit.*) Iam satis constat eos qui res feliciter gesserint literas laureatas Romam misisse fascesque lauro decorare solitos esse, quae laurea vel ab ipsis reducibus vel ab imperatore in gremio Iovis Capitolini collocabatur. Quum tamen iam Gierig., secutus Lipsium et Massonem Gesnerumque, argumentis satis idoneis illorum sententiam refutaverit, in ea re multus esse nolo, et pauca tantum afferam, quibus res tota confici mihi videtur. Constat enim ex scriptoribus veteribus,**) Traianum nuntium de adoptione Agrippinae Coloniae accepisse. Quodsi statuas, eum itineribus citatis a Pannoniae finibus eo profectum esse, alius locus Plinii ei sententiae aperte refragatur. Dicit cap. 12., Traianum assedisse ferocissimis populis eo tempore, quum Danubius ripas gelu iungit, duratusque glacie ingentia tergo bella transportat i. e. media hieme, non aestate, quod tamen necesse est concedas, si inde die 18. Septembris mensis, quem adoptionis diem esse supra vidimus, lauream ob victoriam a se reportatam in urbem misisset. Deinde alii loci docent, Traianum omnino nulla graviore pugna cum Pannoniis manus conseruisse, ut eodem capite: sed ubi in proximo tu, illi quidem latibulis suis clausi tenebantur, et cap. 16.: Magnum est, Imperator Auguste, magnum est, stare in Danubii ripa, si transeas, certum triumphi, nec decertare cupere cum recusantibus. Vix igitur statui potest lauream illam a Traiano ipso missam esse, quod potius ab aliquo e legatis factum est, qui aestate vel auctumno insequenti secunda aliquot proelia cum barbaris commiserat; quod ea vero sub ipsum adoptionis diem allata et statim Iovi dedicata est, id Plinius ut munus quoddam et fortunae in Traianum favorem commemorat; de eaque re sane iactantius locutus esset, si Traianus ipse eam misisset.

Utcunque tamen res est, ob proelia in Germania facta Germanici nomen accepit, quod iam tum, ut Plin. cap. 14. ait, merebatur, quum ferociam superbiamque barbarorum ex proximo auditus magno terrore cohiberet, Rhenumque et Euphratem admirationis suae societate coniungeret. Magnum enim iam existimabatur terrorem tantum hostibus iniicere, qui se movere iam non auderent, similique modo postea Spurinna, dux Traiani, secundum Plin. 2, 7. statuam triumphalem accepit, quod Bructerûm regem vi et armis in regnum induxit: ostentatoque bello, ferocissimam gentem (quod est pulcherrimum victoriae genus) terrore perdomuit. Bellum tamen iustum cum nationibus Suebis gestum esse, Albertus Rubenius ex inscriptione anni 97. docet (cf. Eckhel. vol. 6., nr. 97.), qua Attio cuidam aurea corona ab imperatore Nerva Aug. Germ. bello Suebic. tributa memoratur. Inde iure colligitur, Traianum qui tum Germaniae praecerat, ex Suebis victoriam reportasse Nervamque eam ob rem nomen Germanici accepisse, quod postea cum Traiano communicaverit.***)

Sed monet me mentio Bructerûm paullo ante facta, ut rem attingam, quae sine dubio in tempus illud incidit, quo Traianus Germaniae praefuit. Narrat Tacitus in Germania, quam altero Traiani consulatu i. e. a. 98. p. Chr. n. scripsit, c. 33. haec: Iuxta Tencteros Bructeri olim occurrebant; nunc Chamavos et Angrivarios immigrasse narratur, pulsis Bructeris et penitus excisis, vicinarum consensu nationum . . . . . super LX. milia, non armis telisque Romanorum sed . . . . oblectationi oculisque ceciderunt. Bructeri igitur, qui antea ad utramque Luppiae fluvii

*) Nec quia vel pater tibi triumphalis, vel adoptionis tuae die dicata Capitolino Iovi laurus, idcirco ex occasione omni quaeris triumphos.

**) Eutrop. 8, 1.; Victor. epit. 13., Sidon. Apollin. carm. 4, 113.

***) Vide etiam paneg. 9.: eidem, quum Germaniae praesideret, Germanici nomen hinc missum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ripam consederant, paullo ante annum 98. a populis vicinis excisi sunt; hoc factum esse fere annis 96. aut 97. cum Ledeburio Land und Volk der Brukterer p. 240. statuerim; ad eos motus custodiendos et si opus esset coercendos sine dubio Traianus ad Rhenum inferiorem aliquantum temporis versatus est, quum timendum fuerit, ne gentes illae semel motae Rhenum transire conarentur. Nec tamen, quod Tacitus illo loco ex auditionibus quibusdam refert, populus plane ad internecionem redactus est, quum Plinius l. supra laud. (epist. 2, 1.) referat, Bructerûm regem a Spurinna, imperatore Traiani, vi et armis in regnum inductum esse, quae verba ut civitatem illam etiam postea fuisse docent, ita vires populi fractas fuisse testimonio sunt.

Caput IX.

Quae fuerit condicio Germaniae provinciae Traiano administrante.

Accuratius iam, quoad e monumentis et literis fieri potest, nobis inquirendum erit, quomodo Traianus in Germania administranda se gesserit. Iam satis notum est, imperium Romanum eo tempore usque ad Rhenum flumen pertinuisse totamque terram Belgarum fines inter et Rhenum nomen Germaniam gessisse, quae divisa in superiorem et inferiorem Moguntiacum et Coloniam Agrippinam capita habuerit. Augusto imperante in terram interiorem trans Rhenum sitam Romani penetraverant castellisque ibi communitis eam iam certa possessione tenere videbantur. Parte Germaniae magnae iam clade Variana amissa insequenti tempore per bella civilia reliquas quoque, ut regionem ad Taunum sitam, deseruerunt. Recipere videbatur imperium vires suas Vespasiano imperante, qui tamen satis habebat Galliam pacatam in priorem statum restituisse. Domitianus filius Rhenum transgressus in eos agros venit, qui postea Decumates dicti sunt, et quamquam hostem vidit nullum, de Chattis triumphum egit. At ne is quidem quae ceperat firmiter tenuit nisi quod aras Flavias, quae dicuntur, apud urbem Rothweil videtur condidisse et urbs Kösching in Rhaetia ab eo nomen Flaviam accepit.*) Traianus demum Germaniae transrhenanae curam impendit. Atque eas nationes, quae validiores videbantur, ne pecuniae quidem parcens, pacare Romanisque fidos reddere studuit, quod in Hermunduris praecipue sive Thuringis effecit, quae Tacito in German. 41. teste fida Romanis civitas fuit, ita ut non tantum in ripa Danubii commercium cum iis haberent, sed penitus, et in splendidissima Rhaetiae provinciae colonia Augusta Vindelicorum. Praeter Batavos iam ante in fidem acceptos Mattiaci quoque circum urbem quae hodie Wiesbaden dicitur habitantes in obsequio erant, ut Tac. Germ. 29. testatur: protulit, inquit, magnitudo populi Romani ultra Rhenum ultraque veteres terminos imperii reverentiam. Ita sede finibusque in sua ripa, mente animoque nobiscum agunt (sc. Mattiaci). In terra eorum ad Moenum castellum condidit et munimentum Traiani appellari voluit, de quo vide quae paullo infra afferemus. Imprimis autem agros, qui Decumates dicebantur, in potestatem Romanorum redegit; huc pertinet, quod Orosius 7, 12. habet: mox Germaniam trans Rhenum in pristinum statum redegit, trans Danubium multas gentes subegit, et Eutrop. 8, 2.: urbes trans Rhenum in Germania reparavit, idemque significat Martialis 10, 7. Rhenum alloquens: Et Romanus eas utraque ripa, quibus verbis significare vult non modo terras illas Romanorum factas esse, sed etiam incolas se plane ad mores Romanos et humanitatem cultumque applicasse. Respicit Claudianus quoque res a Traiano in Germania gestas in laud. Stilich. I, 193. sqq.

Cedant Druse tui, cedant Traiane labores.
Vestra manus dubio quidquid discrimine gessit,
Transcurrens egit Stilicho, totidemque diebus
Edomuit Rhenum, quot vos potuistis in annis.

Sed ut iam ad agros Decumates redeamus, siti erant in ea regione, quam nunc Badenses et pars Wirtembergensium incolunt, nomenque gerebant ideo, quod qui eos colebant pro vectigali decumas pen-

*) Inde mihi Imhof. in libro doctissime et elegantissime scripto, quem saepius iam commemoravi etiamque memorabo, C. Flavius Domitianus, ein Beitrag zu römischen Kaisergeschichte, p. 49. errare videtur, qui neget Domitiano unquam rei quid cum agris Decumatibus fuisse.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

debant.*) Qua condicione agri Decumates fuerint, v. apud Creuzer. l. l. p. 19. Augusto imperante Marcomanni eos tenebant, priusquam inde in terram Boiorum migrarent, postea pars imperii fuisse, dominatione tamen nondum firmata,**) et mature illuc peregrini imprimis e Gallia immigrasse videntur, quod apparet e loco notissimo apud Tacitum, Germ. 29.: Non numeraverim inter Germaniae populos, quamquam trans Rhenum Danubiumque consederint, eos, qui Decumates agros exercent. Levissimus quisque Gallorum et inopia audax dubiae possessionis solum occupavere; mox limite acto, promotisque praesidiis, sinus imperii et pars provinciae habentur. Ex quo tamen tempore id factum sit, obscurum est; certe circa annum 93. populi Germanorum illas regiones incolebant, quod apparet ex iis, quae supra de seditione Antonii Saturnini narravimus, cui barbari transrhenani auxilium laturi erant, quod facere non potuissent, si fines imperii contra eorum impetus tum limite muniti fuissent. Verisimile igitur est, vallum illud, cuius pars***) iam a Druso perfecta erat, a Traiano partim reparatum partim exstructum esse, quo tota illa regio ab incursionibus barbarorum defenderetur. Qui plus de ea tota re scire velit, librum adeat, a Leichtlen. conscriptum: Schwaben unter den Römern, Freiburg 1825; nos capita tantum proponemus. Incipit is limes, cuius vestigia etiamnunc supersunt, a Danubio haud procul ab eo loco, quo Altmühl influit, vergitque inter occidentem et septentriones ad Weissenburg, deinde per Dombach inter occidentem et meridiem ad Laurcacum (Lorch), tum septentriones versus ad Iaxthausen prope Nicrum, denique Moenum superans per Tauni iuga protentus Rhenum flumen usque prosequitur et Luppiam egrediens ad silvam Caesiam finitur. Quin etiam inter Luppiae ostium et Eltenam montem vestigia limitum inveniri, Dederich testatur Gesch. der Römer und Deutschen am Niederrhein p. 84. Neque tamen ea omnia ad Traianum referenda sunt, sed partim antea a Druso, partim a posterioribus imperatoribus, ut Probo, constituta. Dicebatur is limes transrhenanus, idem in regionibus ad orientem spectantibus Rhaeticus; nunc apud incolas reliquiae nomina gerunt: Teufelsschanze, Teufelsmauer, Pfahlhecke, Pfahl, Heidenwall. Constabat autem ex mole lapidea, terra insuper cumulata et superiniecta, additis etiam, ut videtur, sudibus acutis, dispositisque ad praesidia recipienda turribus et duplici fossa praecinctus erat. Traianum in regionibus Germaniae australibus vias munivisse et oppida castellaque condidisse, et per se probabile est, et numi, lapides, nec minus quidam scriptorum loci testantur.†) Ammianus quoque Marcellinus l. 17. in.: monumentum Traiani memorat, quod Frecherus orig. pal. 1, 4; 2, 6. et post eum Leichtlen, Schriften der Gesellschaft für Beförderung der Geschichtskunde zu Freiburg im Breisgau, B. 1, p. 27. et 44. Castel e regione Moguntiaci situm esse contendunt, quum alii fortasse rectius in Höchst urbe quaerant. Deinde idem Leichtlen in libro laud. p. 180, sqq. e duobus lapidibus, in colle qui dicitur der Rettich apud urbem Baden-Baden inventis, ingeniose eruit, Traianum conditorem thermarum illarum esse, quibus postea nomen civitas Aurelia Aquensis fuerit.

Rem memoratu dignam et paucis, opinor, cognitam proponam. Alter lapis inventus est 16. die mensis Aprilis a. 1816. p. Chr. n., his literis insignitus:

RVATRA
FMAX
EG. XIC

*) Neque tamen cum Creuzer., zur Geschichte römischer Cultur am Oberrhein p. 81, 82. et Imhof. Domitian p. 49. Anm. 1. vocem Decumates substantivum esse putaverim, ut interpreteris in loco illo Taciti: die das Land als Zehentpächter bauen, sed: die die Zehentlande bebauen.

**) Certe non per Domitianum cum imperio Romano coniuncti sunt, v. Imhof l. l.

***) Quae inde ab Amisia (Ems) per Tauni iuga in Wetteraviam procurrit. In monte Tauno idem castellum posuerat super vestigia paterni praesidii, Tacit. ann. 1, 56.

†) Victor de Caes. 13.: et inter ea iter conditum per feras gentes, qua facile ab usque Pontico mari in Galliam permeatur. Eutrop. 8, 2. v. s. Vide etiam quae Creuzer. de viis ibi stratis, affert: zur Geschichte alt-römischer Cultur vom Oberrhein und Neckar, p. 12—14. et quos commemorat numos, inscriptione via Traiana notatos, qui prope Nicrum inventi sint, p. 106.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

meminerat deinde Leichtlen., anno 1809. prope eundem locum lapidis fragmentum e solo effossum esse, his notatum literis:

MP. NE
PONT
CI. ADI

forma deinde lapidum inter se collata statim apparuit esse partes eiusdem corporis, eosque quum componeret, eum scilicet, quem posterius memoravi, ante priorem, aperte legit haec:

MPNE	RVATRA
PONT	FMAX
CI. ADI	EG XI. C.

literis autem et a fronte et in medio aut exesas aut elisas facili coniectura addens, totum ita restituit:

IMP. NERVA TRA
IA PONTIF MAX
LEG. I. ADI. LEG. XI. C.

i. e. imperatore Nerva Traiano pontifice maximo legio prima adiutrix legio undecima constans.

Legio prima antea in Hispania meruerat et inde sine dubio cum Traiano in Germaniam venit, ubi posteriore quoque tempore invenitur, undecima paullo post in Sequanos deducta est. Utraque illo tempore stativa Moguntiaci habuit; maxime igitur verisimile est, in colle illo, de quo supra diximus, castellum Romanum ad agros finitimos tutandos ibique aliquot centurias vel manipulos utriusque legionis in praesidio collocatos fuisse, militesque illum lapidem cum inscriptione Traiano dedicasse. Quumque vix idoneam caussam invenias, cur in ea potissimum regione Romani praesidium habuerint, nisi si statuas, ad thermas custodiendas factum esse, haud iniuria Leichtlen. mihi videtur affirmare, aquas illas salutares iam Traiani tempore Romanis notas ab iisque frequentatas fuisse, effingitque animo imaginem quandam amoenissimae illius vallis, iam tunc hortis, villis, aedificiis omnis generis distinctae, quae tamen nondum in oppidi formam coniuncta fuerint.

Ex iis, quae adhuc disputavimus, luce clarius apparere mihi videtur, Traianum ad Rhenum superiorem populos Suebicos, qui Rhenum transire meditarentur, repressisse, partem agrorum sub potestatem populi Romani redegisse, viisque ibi stratis, castellis communitis, aggere ad incursiones barbarorum defendendas structo totam regionem ad cultum humanitatemque Romanam perduxisse.

Quantopere agri Decumates et omnis Germania superior illo tempore floruerint, elegantissime et doctissime exposuit Creuzer. in libro supra laudato p. 17—22.

Restat, ut disputemus de iis, quae ad Rhenum inferiorem gessit; ubi quem ad locum progressus sit, vix definiri poterit. Posteriore quidem tempore ea opinio videtur pervulgata fuisse, eum ad mare usque processisse, si quidem geographus Ravennas 1, 15. de eo haec habet: bellum, quod gessit Traianus Romanus imperator, quando litus totum Arctoi oceani ambulavit. Dubium est, possintne huc trahi, quae Tac. Germ. 1. habet: Cetera Oceanus ambit, latos sinus et insularum immensa spatia complectens, nuper cognitis quibusdam gentibus ac regibus, quos bellum aperuit. Nam notissimum est, vocem nuper etiam de tempore iam diu praeterito dici, et intelligi possunt expeditiones Drusi Tiberiique et Germanici in Germania factae. Quod autem Martialis epigr. 10, 6. de Traiano ex Germania redeunte dicit:

Felices, quibus urna dedit spectare coruscum
Solibus Arctois sideribusque ducem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

id poetica quadam licentia dictum est, quippe quum omnis Germania et tractus illi terrarum Italis e rei geographicae inscientia sub septentrionibus iacere viderentur; simili modo Claudianus de laud. Stilich. altius insurgens praedicat:

Sine caede subactus
Servitio Boreas, exarmatique triones.

Id certe constat, verba anonymi illius Ravennatis, qui saeculo p. Chr. n. nono scripserit et sine iudicio multa congesserit, minime commovere nos posse, ut statuamus, Traianum ad septentrionales Germaniae partes penetrasse. Nam id quidem inter omnes constat, Romanos iam inde a Claudii temporibus *) nullas amplius copias ad inferiorem amnis partem Rhenum transportasse, eoque flumine imperium Romanum in iis regionibus finitum fuisse. Iam Romani id imprimis agebant, ut castra et castella in sinistra Rheni ripa firmis praesidiis munirent, alia adderent, colonias deducerent, vias militares sternerent, quo facilior et expeditior commeatus legionum inter se esset. Paullo uberius mihi de re disputandum et notae quoque res afferendae sunt. In iis castris et coloniis principem locum duo obtinuerunt. Altera erat colonia Agrippinensis, iam ab Agrippa condita, postea a. 50. p. Chr. n. ab Agrippina, uxore imperatoris Claudii, iterum deducta, qua in urbe praeses Germaniae inferioris sedem suam habebat et Traianus quoque versatus est, quum nuntium de adoptione acciperet,**) altera autem Vetera sive Vetera castra eo loco posita, quo nunc pagus Birten***) ad montem Fürstenberg prope Xantenam urbem situs est. Ea iam Augusti tempore constituta erant, unde exercitus Romani in Germaniam inferiorem penetrarent; prope erat ad radices montis pons ligneus in Rheno flumine, cuius reliquiae, tigna nimirum lignea, Teschenmacheri tempore etiam ad ripam Rheni videbantur (annales Cliviae p. 59.), nec minus portus celeberrimus exstructus erat, unde Romani in mare septentrionale navigabant. In procestrio, quod dicebatur, i. e. loco pro castris sito, caupones, lixae, mercatores, artifices omnis generis domicilia sua collocaverant. (v. Tacit. hist. 4, 22.: subversa longae pacis opera, haud procul castris in modum municipii exstructa — sed lixarum multitudo etc.) Praeterea iam belli Batavici temporibus plurima oppida et castella ad Rhenum inferiorem condita erant;†) ac praeter nota illa, Novesium, Asciburgium, in itinerario Antonini quidem et tabula Peutingeriana nominantur Burginatium (Hof op gen Born prope Calcar urbem), Arenatium (quod non est Arnheim, sed pagus Rynderen, antiquitus Ryn-eren sive Ryn-aren prope Cliviam), Noviomagus sive Batavodurum (Nymwegen), Grinnes, Vada, castra Herculis, quorum situs incertus est. Tamen ne iusto diutius legentes in his rebus detineam, eos, qui harum rerum studiosi sunt, ad libros delego hos: Geschichte der Römer und Deutschen am Niederrhein von Andreas Dederich, Emmerich 1854; Römische Denkmäler der Gegend von Xanten und Wesel am Niederrhein von Fr. Fiedler, Essen, 1824; Houben, Denkmäler von Castra Vetera und Colonia Traiana in Ph. Houbens Antiquarium zu Xanten mit Erläuterung von Fr. Fiedler, Xanten, 1839; Rein, die römischen Stationsorte und Strassen zwischen Colonia Agrippina und Burginatium, Crefeld, 1857. Post bellum cum Batavis compositum eo populo rursus in fidem recepto arma ad Rhenum inferiorem siluerunt, neque Traianus quum Germaniae praesideret ullam expeditionem in Germanos fecit, satis habens, fines contra impetus barbarorum defendisse. Quo firmior igitur possessio illarum regionum esset, prope Vetera Castra coloniam constituit, quam ex nomine suo Traianam voluit dici, eodem loco, quo nunc Santen sive Xanten urbs sita est, quae in tabula Peutinger. Col. Troiana dicitur, ex miro illo commento, quo ea urbs a Troianis longo errore illuc delatis condita fertur. In itinerario Anton. nominantur castra Ulpia, quae a Veteris

---

*) Tac. ann. 11, 19.: Igitur Claudius adeo novam in Germanias vim prohibuit, ut referri praesidia cis Rhenum iuberet.

**) Victor epit. 13; Eutrop. 8, 2; cf. etiam Ael. Spart. Hadrian. 2.

***) Cum Rein., die römischen Stationsorte und Strassen u. s. w. p. 54., aliisque mihi maxime probatum est, Romanos e consuetudine sua nomen Vetera ex nomine vernaculo pagi Birten conformasse, quo eodem modo in nominibus Moguntiaco, Neomago, Novesio, Asciburgio, Quadriburgio, Burginatio, Gelduba vocabula Germanica vel Celtica latent.

†) Secundum Florum 4, 12. Drusus per Rheni ripam quinquaginta amplius castella direxit, quae si statuas cum Fiedlero römische Denkmäler p. 14. inde a Moguntiaco ad Lugdunum Batavorum pertinuisse, haud multo longius, quam unius horae intervallo, inter se distabant. In terra Batavorum memorat Tacitus ad sinistram Vahalis ripam Arenatium, Batavodurum, Grinnes, Vada. (Hist. 5, 19 et 20.)

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

(ita cum Rein. lego, non Veteribus)*) M. P. i. e. mille passus distent, quod spatium accurate congruit cum intervallo, quo Xanten a pago Birten abest. Gravius etiam argumentum, quo pro certo ponere possis, Coloniam Traianam loco quo dixi sitam fuisse, est, quod et in itinerario ibi legio XXX. in praesidio fuisse memoratur, et sexcenti lapides et lateres in campis adiacentibus inveniuntur notati signo LEG. XXX. V.V. i. e. Ulpia Victrix, quo nomine legio illa, ab imperatore Traiano primo composita et constituta gaudebat. Florentem fuisse Coloniam Traianam, e monumentis et reliquiis facile colligas, quae in illa regione et inventa iam sunt, et nunc inveniuntur; schola quoque ibi erat, si quidem Pigghius Hercul. Prod. p. 77. inscriptionis mentionem facit, qua restitutio scholae Coloniae Ulpiae Traianae incendio consumtae commemorata fuerit.**) Quo anno colonia deducta sit, certo definiri non poterit. Item Traianus viam reparavit, qua Veteris ad Noviomagum ibatur, iam ab Augusto inchoatam, posteriore tempore collapsam, cuius vestigia etiamnunc exstant; ea, quum Rhenus flumen illo tempore radices collium praeterflueret, per iuga montium et loca editiora ducta erat, maximaque eius parte homines usque ad nostram memoriam usi sunt. Memoratur apud Fiedler. in libro laud. p. 127. locus quidam apud Geldubam, cui nomen sit apud incolas Trajerhaide sive Trarhaide et Trajerschanze, quod munimentum suspicatur a Traiano conditum esse, de qua re equidem nil certi habeo quod dicam.

Id ex omnibus, quae attuli, apparet, condicionem Germaniae inferioris illo tempore prosperrimam fuisse; facile depingas tibi cogitatione agros illos fertiles minime cultoribus vacuos, sed fructus potius uberes reddentes, in iis disposita passim castra, castella, oppida Romana; quin et mercaturam floruisse, inde potest coniici, quod naves Romanae eo tempore mare Germanicum ingrediebantur.***)

Caput X.

De Traiani adoptione.

Ea dum in Germania geruntur, Romae rerum commutatio facta est, quae Traiano viam ad imperium adipiscendum muniret. Post Domitiani mortem 18. d. Sept. 96. studiis senatus ad Cocceium Nervam, exacta iam aetate senem, summa rerum delata est. At condicio reipublicae desiderabat, ut qui gubernacula teneret idem vir rei militaris peritus manuque fortis esset; quod statim apparuit. Milites enim, qui graviter ferrent, quod ipsorum iniussu princeps rerum potitus esset, memores simul stipendii grandis effusaeque licentiae, qua Domitiano imperante usi essent, quum initio auctoritati Nervae paruissent, mox seditiones moverunt. Ac primum quidem Calpurnius Crassus quidam, clarissimorum Crassorum illorum progenies, ingentibus promissis militum animos pertentavit, quod quum per indicium Nervae enuntiatum esset, rem tantopere neglexit, ut in spectaculo quodam coniuratos proxime se collocans iis ferrum traderet, specie quidem, ut aciem eius explorarent, re autem illis significaturus, sua non interesse, si statim occideretur. (Dio Cass. 68, 3.) Postea tamen quum res gravioris momenti videretur esse, Crassum cum uxore Tarentum relegavit, patribus lenitatem eius increpantibus. (Aurel. Vict. epit. 12.) Erat ea pessimi exempli clementia; nam Casperius Aelianus, praetorio praefectus, consiliis clandestinis milites sollicitavit, ut ad mortem eos deposcerent, qui Domitianum interfecissent. Quo audito Nerva adeo consternatus est, ut neque vomitum neque impetum ventris, ut Victor dicit, valeret differre. Nihilominus graviter obstitit, dictitans, aequius esse mortem subire, quam auctoritatem imperii foedare, pectusque nudatum militibus turbulentis obtulit, se ad ictum mortiferum excipiendum paratum esse indicans. Nihil tamen effecit; nam milites neglecto principe requisitos, Petronium uno ictu, Parthenium vero demtis prius genitalibus et in os coniectis iugulavere. Quin Casperius eo progressus est insolentiae, ut Nervam compelleret, ut apud populum militibus gratias ageret, quia nefandos pessimosque omnium mortalium

*) Tacitus quidem forma Veteribus utitur, deceptus errore, Castra Vetera esse idem, quod c. vetusta.

**) Vidè etiam Fiedler., Geschichten und Alterthümer cett. p. 99.; factum erat a Marco Aurelio Antonino et L. Aurelio Vero; vidit Pigghius eam tabulam apud advocatum Henricum Risivicum Xantenensem; erant in ea literae C. TR. VL.

***) Ukert Germ. S. 67.; Dederich Geschichte der Römer und Deutschen cett. p. 135.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

peremissent. Tum vero Nerva auctoritatem suam ludibrio haberi neque se turbis civilibus sedandis parem esse intelligens, in Capitolium ascendens ante pulvinar Iovis optimi maximi clara voce haec effatus est: Quod bonum, felix, faustum fortunatumque sit, inquit, et senatui populi Romani Quiritium et populo Romano Quiritium mihique ipsi, M. Ulpium Nervam Traianum filium mihi adscisco adoptoque. Simul lauream ex Pannonia eo ipso die allatam in gremio Iovis deposuit, de qua v. quae supra diximus. Tum frequenti senatus consessu Caesarem eum appellavit suaque ipsius manu literas ad eum perscribens de iis omnibus certiorem fecit, verba addens illa Homeri notissima e prima rhapsodia

Τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσιν. *)

Paullo post imperator quoque creatus est**) et consors tribuniciae potestatis et iterum consul in annum 98.,***) plenumque nomen ei est inde ab eo tempore, quod ex inscriptionibus apparet:

M. Ulpius Nerva Traianus Caesar, Nervae Aug. f.

Eidem, de qua re iam supra diximus, cognomen Germanicus Roma missum est.

Prudenter id Nerva instituit et temere fecerat, ut Plinius dicit, si alium adoptasset. Quamquam enim cognatos habebat, propinquitatem communi saluti non praeposuit neque pensi habuit, quod Traianus Iberus natione fuit, neque Italus, nec Italicus, quamquam ante eum nemo alienigena summum imperium habuit. Virtutem enim, non patriam in principe eligendo respiciendam esse credidit (cf. Dio l. l.). Quod vero senatus Traiani adoptionem successionemque ratam esse iussit, vel maxime indicio est, partes imperii iam tum in unum quasi corpus coaluisse omnemque diversitatem provincias inter et urbem Romam sublatam fuisse, cui rei iam Vespasianus viam aperuerat, instituto, quod supra dixi, ut honestissimi quique provincialium in senatum legerentur.

Neque praetoriani obsequium detrectarunt, capitibus seditionis in Germaniam evocatis et de medio sublatis (Dio 68, 5. *ἐκποδὼν ἐποιήσατο*). Antequam ad imperium veniret, somnium vidit, ut Dio narrat, qui rebus talibus superstitiose indulget, senem pallio et tunica praetexta indutum coronaque ornatum, qui annulo sigillum iugulo ipsius sinistro, tum dextro imprimeret. Nuntium de adoptione eum Coloniae Agrippinae accepisse, diemque incidere in d. 28. mensis Octobris a. 97. p. Chr. n., iam supra vidimus.

---

*) Dio 68, 4.

**) Plin. paneg. 8.

***) Tac. Germ. 37.; Plin. paneg. 59.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf